



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

removendo. Neque hoc casu Episcopus Ordinarius hominem post actam poenitentiam restituere poterit: nisi Episcopus alter consentiat; seu à se latam sententiam relaxet. *arg. cap: pastoralis. 11. §. præterea de off. Ordin. ubi Abb: & alij docent: Quòd censurâ & sententiâ judiciali ligatum, is solùm absolvere possit, qui eam tulit, aut eius successor, aut superior.*

II. Infero, si Episcopus Clerico beneficiario suo pte arbitrio, ob contumaciam, aut crimen, inferat privationem, aut suspensionem à beneficiis, extendetur hæc pœna duntaxat ad beneficia Diocesis. *Felin: postulasti de foro comp.* Nisi pœna, aut censura, seu per legem, seu per hominis sententiam inflictâ, afficiat personam absolute, non in ordine ad locum. Talis est excommunicatio, quæ territorio non clauditur, sed sequitur personam, velut lepra leprosum. Item interdictum personale. *Abb: in cap. postulasti. n. 11. cap. ad reprimendam. n. 2. de off. Ord. vel si cui ingressus Ecclesiæ interdictus sit. capit. 15. & 20. de sent. excom: in 6.*

12. Sed & depositio absolute illata
Cle-

Clericum inhabilem reddit ad quaecun-
 que beneficium retinendum, aut acqui-
 rendum, nisi cum eo dispensetur: *Suar. de*
Conf: disp: 31. S. 1. num. 5. Sic & ad mortem
 damnatus, adeoq; libertate privatus, pœ-
 nãq; servus effectus, & publicè condem-
 natus de crimine, quod infamiam infert,
 v. g. de furto, ubiq; locorum infamis, aut
 pœnã servus permanebit. *Barth: in L. sunt*
quidam. 19. ff. de pœnis. Abb. cit. n. 11. & con-
stat ex L. non potest. 63. ff. de furtis.

13. An Advena in alieno territorio de-
 linquens puniendus sit secundum statuta
 & consuetudines loci delicti, an domici-
 lii? *Respondet Barth: in L. 1. n. 20. Bald: ibid.*
n. 22. C. de sum: Trin: Si factum in utroq;
 loco seu communi jure prohibitum sit,
 tunc puniri debet secundum statuta loci
 in quo deliquit: quia delinquendo sub-
 ditus fit jurisdictioni. Nec obstat: tametsi
 nesciat pœnam statuti; quia consentien-
 do voluntariè in delictum, interpretativè
 consentit in pœnam, ut propterea per
 quandam consequentiam obnoxius fiat
 pœnã, nisi ea valdè extraordinaria sit, aut
 nisi censura in pœnam lata sit, quæ id spe-
 ciale.